



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Theophili Bernardini E Societate Iesv De Religiosæ
Perseverantiae Præsidiis Libri XI. ...**

Bernardin, Théophile

Antverpiae, 1622

23. Seipsum vbique incusa[n]di modus vnus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47032)

Vno quidem, ex ea quam res animaduersæ præbent occasione, argumentum nos reprehendendi aptè comminiscens: Altero verò, malorum, defectuum ac imperfectionum variè per res plurimas diffusarum, causam omnem in nostra peccata conferentes; atque ita, vtroque quem antè notauimus sensu, quasi solemne carmen recinentes: Peccatum meum contra me est semper.

CAPVT XXIII.

Se ipsum ubique incusandi modus vnus.

IN priore modo, facilitatem & copiam suppeditabit ardens incitatio mentis, in omnem huius exercitationis occasionem excubantis: cum enim nec soli gloriam Dei enarrent cæli, nec sola pigritiæ vitium exprobrer formica, sed nos vndique erudiant omnia, & defixas humi mētes in sublime vocent; qui sibi, qui singulis rebus, haud incuriæ cogitationis perspicaciam applicuerit, is profectò quid sibi loquantur, quàm se grauius exstimulent, audiet.

Etenim cum Sol in tanta constantia, tanta rapiditate, cursum conficientem intueor; possumne, vel inconstantia meæ, vel lentitudinis arguendæ obliuiscer? Quid? nonne vniuersim omnibus, bonis & malis, summis & infimis, amicis Dei atque perduellibus, pariter lucet? ego verò & paucis benefacio, & hominum delectam habeo, pauperum contemtor, potentiorum obnoxius oblectuator, iniuriarum apprimè memor. Sol ecce, ex ortu suo tenebras omnes momento dissipat, rigentia fouet: at ego nec à me, nec ab aliis, erroris tenebras, vitiorum frigus amoueo, promoueo potius & implico. Sol vitam corporibus impertit: heu, nullius animam Deo meo feci viuere, tenebricosis potius operibus, exemplisque pessimis perdi. Calore suo fouet & auget corpora: tepore meo, virtutum ardorem sopio. Fœcundat solum, & prata terra que conuestit: at ego infœcundus sterileco: & alia eiusmodi plurima que conferre possum.

Cæli verò quàm multam mihi miseriam exprobrant! ecce omnibus enarrant gloriam Dei, quam factis & vitæ prauitate obscurare non vereor. Cælum à terra & corruptione remotissimum est; at ego totus, perituris harumce rerum amonibus & desideriis astuo: angelorum, purissimarumque mentium cietur impullibus; at ego lutulentæ carnis, cupiditarumque prauarum perturbacionibus transuersus abripior! non potuit cælorum celsitas superbum suis in orbibus sustinere Luciferum, sed inde præcipitem deuoluit; & ecce in hoc meo carneo terrenoque corpore, iactantia, elatio, superbia stabulantur! purissimi & mundissimi sunt cæli; at ego impuritatis & luxuriæ fœda & impurata sum cloaca! cæli æquabilitate summa ordinem suæ conuersionis obler-

uerit,

uant, numquam motori suo inobsequentes: heu quoties angelorum, & motorum meorum, hoc est Præsidium, non tantum nutibus, sed & imperiis, non tantum non obsecundo, sed obisto, sed in contraria despecto: in capite, in cauda draconum, in fraudis & consiliorum pessimorum machinatione nonnumquam inuolutor, eclipses & lucidarum virtutum obtenebrationes patior; leonem iræ; gemina vitia, luxuriam & gulam; retrogradum imprudentiæ cancrum, & istiusmodi monstra cælo afficta, non verè infixa, mihi verè & penitus insita deprehendo. quod autem in cælis nihil dispar, nihil sit confusum, inordinatum, sibi pugnans, ô quantopere meam ordinis peruersionem, actionum compugnantiam & inæqualitatem arguit! Stellas plurimas, vim quamdam, maximeque penetrantem efficaciam, intimo quasi sinu suo occultant cæli: at ego vanæ iactationis & gloriæ vile mancipium, & nihil intus recondo quod non effundam, & virtutis laxata compage suo robore vires destituta hæcescunt. En quot, præter cetera multa, nominibus, me ipsum, quoties cælum intuebor, accusandi seges præstò erit? quid? ut ad illud suspirem, excidere timeam, nihil dum tanto dignum præmio fecisse me indignum? quid noctium tenebræ, quid lucis diuinæ fulgor clamat? sed hæc indicasse, & per amplexum de corpore, oculisque semper exposito, paulò plura dixisse sufficiat. Progrediamur ad reliqua.

Quidni enim diffusus ille æther, vnde quaque perflabilis & permeans, cælestium in inferiora illapsuum, & quodammodo impressionum vehiculum, multa mihi mala mea exprobranda in memoriam reuocet? nempe modò durum illabenti spiritui cor, modò varium & mutabile, modò nec pellucidum, & tenebris, niue, grandine, irarumque fulmine turgidum, modò graueolenti vitiorum peste letiferum, modò chimæris, vanis næque superbiæ fictis impressionibus, quasi quibusdam meteoris inumbratum, modò variè hinc inde luctantibus affectionum procellis luxatum; quidni sic, quidni sexcentis alijs modis, me mihi exproberet?

Si mare, si aquas cogito vel video; quidni ipse me compellere valeam? Heus tu, en quomodo tecum agitur; æquor vidèris, at profundo fidentes mergis, vnde cumque ventos incubantes admittis, & turbaris; hinc scopulos, ibi syrtes, istic vada vitiosus occultas; pisciculos ripis, pleno alueo cete grandia, hoc est minora vitia extimè quidem, at peccata grauiora intimo recessu mentis recondis; vbique tamen salax, amarus, inconstans: & quamuis septemplex ostia Nili, quamuis tot grandia diuinæ gratiæ dulcissima flumina, in te quotidie influant, numquam tamen tua illa nimia amarities edulcatur.

At ecce, Sole vapores sursum euocante dulcescunt, & in pluiam roresque pergratos eunt: nec dissimiliter percolata per terræ poros vnda maris,

in suaues & limpidos fontes exit. O si terrarum vilitate desprera, si caelestis patriæ exastuante desiderio, cupiditatem recidere, idque omne quod crassius est mentemque hebetat, exuere valeam! sed en aquas: vt in mare refluunt, pristinoque redduntur amator! verè, & mihi quoque prona est in deteriora prolapsio, sursum euolo, non nihil emundor, at mox ingenito pressus pondere, in ima deuoluo, cupiditatibus implicor, delicias parum probas consector, turgidis vanæ spei desiderijs efflor, curandisque terrenis rebus admistus, in vile lutum, quæ & putens cænum degenero.

Ad terras vbi me conuertero, nihil reperiam quod non mihi quidpiam exprobet: Si aut siccitate, aut æstu, aut neglectu sterilescunt, aut hispida sentibus horrescunt; si densior imber irruens, si atrocius impacta grandio, vel quæuis inimica tempestas maturescens, anni spem violenta deinescit, quam procliuè est, vt animi mei calamitates, & egestatem, quæ in imagine expressas intuear? Adscribam, quod è Sulpicio, hæc scribenti memoria ingerit: *Boues ex Dial. 2. c. 11. parte præca depauperant, inquit, porci etiam nonnulla suffoderant, pars cetera que manebat illæsa, diuersis floribus quasi picta vernabat. Speciem, inquit Martinus, gerit illa coniugij, que pecore depauperata, etsi non penitus gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem. Illa verò quam porci, pecora immunda, foderunt, fornicationis imaginem sæclam præterdit. Ceterum illa portio que nullam sensit iniuriam, gloriam virginitatis ostendit: herbis sæcunda luxuriat, sæcun ea fructus exuberant, & vltra omnem speciem distincta floribus, quasi gemmis micantibus ornata radiat. beata species & Deo digna! nihil enim virginitati est comparandum. ita ille, vnde videas hæc è rebus occurrentibus, pietati fouendæ cogitationes, viris sanctis perfamiliares fuisse: sed ad nostra. Si crebris iugis arduam, rupibus & saxis difficilem, si torrentium rapiditate, præcipitiorum immanitate regionem inuiam videro, si dolosis niuibus complanata pericula, si erraticos in euagante silua mæandros obleruo: non dissimiliter animi mei vitia enotabo, inenlabo, nempe superbiæ tumores, pertinaciæ asperitatem, cupiditatum impotentiam, profundum vitiorum inexhaustum, dolosæ virtutemque simulantis naturæ altus, ac multipliciæ ne deprehendatur inuolucra. At verò vbi amænos, vernantes, fecundos, atque vndique videntes agros videro, eiusmodi esse debere animum meum, at non esse deplorabo: illi solum exitum, ipsa etiam viscera metallis & lapidibus frugifera sunt, ego verò foris & intus detrimentosus totus, venientem calitus imbrem excipio, fructum non refero, maledicto proximus, procellæ & inextinguibili igni mox forsan addicendus.*

Quid atinet singula terris infixæ persequi? herba omnes & arbores sursum germinant, cælumque qua possunt petunt: ego, cælo natus, deorsum feror, terris immergor, ac propè in sepelior. In illarum floribus, fructibus, seminibus, mirisque proprietatibus, quam multa me redarguunt! Quid in animantibus? cognoscit bos possessorem suum, suum tempus miluus, littora sua piscis, ha-

bent-

benique singula vnde in omnem partem eradi, & in cognitionem ac odium plurimorum vitiorum venire possimus. Nec dissimiliter res omnes, siue natura, siue arte constantes, aded conuenienter apreque mea mihi vitia exprobrant, ac si non ad aliud facta, vel tota prauitibus ac nequitijs meis propalands destinata forent. Ibone per singula? & serpentium venena, ferarum latibula, audaciam leonum, tigridum feritatem, vulpium astus, imbelliam ceruorum, porcorum ingluuiem, salacitatem passerum, chalybis duriciem, plumbi mollitiem, scoriae impuritatem, aeruginis perniciem, & id genus mala plurima, ad horum intuitum an mihi exprobrabo? an si quid boni rebus iisdem, aut ceteris adsit, vt puritas auro, candor argento, chalybi firmitas, docilitas cani, pieras ciconia, gratitudo leoni, prudentia serpenti, an & has & plures, a me abesse dotes lu-gebo: infinitum id esset, & vellicanda auri sedulae haec dicta sufficiant.

Id etiam perpetuum, quodque vehementer nos vrgeat, esse debet, vt meminimus, in illo formidabili & decretorio iudicij die, de rerum procreatarum vsu repositendam esse rationem. Quod igitur tunc vitio dabitur, an non iustam nuacnos accusandi materiam praebet? itaque de tempore incassum effluente, annis, mensibus & horis infrugiferis, me ipse reprehendam. Luce, virtutem simulo; tenebris, flagitia contego: victu ad intemperantiam, ieiunio ad iactantiam abutor: rerum abundantia, superbiam; penuria, impatientiam generat: luxam, commoda, cupiditatum mearum expletionem vnde quaque emendico; cumque singulae res & datae sint & facta, vt ex eis Creatorem docear, illumque tanto perfectius diligam, in eis tamen ipse me nimium completor & quaero; peruersoque illarum vsu, contra suum, quantum in me est, Creatorem, illas inuitas repugnantesque detorqueus, nonne acerbas, in extremum illum iudicij diem, accusatrices mihi praepero? nonne rebus procreatis circumuestitus, & vndique circumdatus, quasi ex hoc nunc partim clamantium, partim accusandi formulam meditantium voces exaudire mihi videbor: meque ipse pariter accusando, veniam quam innocentia non possem, animi saltem summisione sperabo? Sed haec pauca de plurimis dicta sint, ad primum illum, & occurrentium rerum occasione se accusandi modum: ad alterum, qui malorum omnium causam in se confert, transeamus.

CAPVT XXIV.

Alter a se ipsum incusandi ratio.

EST haec, admodum propria, & ad aequabilitatem, ac mentis tranquillitatem maxime conducens: quam sedulo obseruare conabimur, tum in varijs naturae euentis, tum in hominum aliorum, & potissime nostris conatibus & factis.

Varios